

nique ubi hac via nihil profecit, principum et sacerdotum aliorumque obtrectatorum probris, calumniis, obtrectationibus, improperiis, subsanctionibus (quod genus telorum omnium acutissimum est) in cruce pendente invasit; et quod unice optabat, ad descendendum de cruce provocavit; quomodo etiam Jobum per uxorem denique ad blasphemiam, aut certe impatientiam invitarat. Verum his omnibus longe superior Christus *cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur non comminabatur: tradebat autem iudicanti se injuste*, ait Sanctus Petrus, epist. prima, cap. secundo. Quod per Isaiam, cap. L. predixit iis verbis: *Corpus meum dedi percutientibus, genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab incrementibus et conspuentibus in me.* Et mox: *Posui faciem meam ut petram durissimam.* Idemque reperit, cap. LIII. cum ait: *Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tendente se obmutescet.* His armis patientia et silentio dæmonem prostravit. Unde Sanctus Augustinus, in psal. CXXXI. *Rex noster, ait, mansuetudine vicit diabolum: sæviebat ille, iste sufferebat: vicitus est, qui sæviebat: vicit qui sufferebat.* Mirandum hoc duelum; ubi vincit qui cæditur ac patitur: vincitur, qui cædit.

VI. Fuit dies victoriae, qualis fuisse dicitur ille, quo, cæso Holoferne, triumpharunt Hebrei, quemque annua festivitate postea celebrarunt, Judith. decimo sexto; et merito, quia non solum ab hoste truculentissimo liberati erant, sed etiam optimis ejus spoliis mirum in modum onustati ac ditati. In die etiam passionis suæ Christus Dominus non modo hostem nostrum crudelissimum, dæmonem debellavit, sed etiam ingenitem ex eo prædam tulit, qua nos omnes onustavit, et de qua Dominus, Joan. XVII. prædicterat: *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Quænam illa omnia? Omnes totius mundi gentes, quæ in ipsum credere voluerunt ac volunt. Abstraxit autem ab inferis et dæmonis potestate, Deoque reconciliavit, filios Bei et hæredes cœli effecit, gratia ornavit, et gloria dedit. Hanc victoriam, Cant. V. comparavit messi copiosæ: *Messui myrrham meam, inquit, cum aromatibus meis.* Quomodo myrrham cum aromatibus? Quia jam tunc patiendo et myrrham sibi propinatam cum innumeris doloribus gustando quasi metere aromata pretiosa animas scilicet innumerabiles, gratia et gloria ornandas, messemque colligeresibi videbatur. Addit deinde: *Comedi favum cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici et bibite et inebriamini charissimi.* Favus resurrectionis gloria est, per Christi myrrheam passionem nobis comparata,

quam ob causam in die resurrectionis sue favum gustare voluit. Ursus favo mellis inhians contemnit apum aculeos: Christus favum gloriosæ et melleæ resurrectionis in cruce jam diripiens sprevit Judæorum (de quibus Psal. CXVII. ait: *Circumdederunt me sicut apes*) ictus et aculeatas derisiones. Vinum Christi quodnam aliud, nisi illud, de quo in ultima cena dixit: *Non bibam de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei?* Matt. XXVI. Quo vino inebriati una cum ipso omnium præteriorum obliviscemur laborum et dolorum, omnique cœlesti suavitate obruemur et absorbebimus, juxta id Psal. XXXV. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

Jure igitur merito diem hunc passionis appellavit Christus *suum*; quia maxima et miranda in eo partim egit, partim obtinuit, quamquam videtur potius dicendus *dies noster* fuisse, quia non tam sibi, quam nobis ea peregit. Et sane ita est: *Dies noster est, quo ipsi despontali, ab ipso redempti, et salubriter compuncti denique cohaeredes ejus facti sumus.* Diem igitur hunc jure meritissimo, veluti *diem nostrum* pectori nostro et memorie insculpimus. Quando Persarum reges e gravi aliquo periculo vel erepti, vel præservati fuerunt, de hoc admonebatur rex, verbo illo: *Memento diei hujus, o rex, teste Plut.* in Artaxerxe. Solebat etiam dies ille referri in commentarios, ut relatus ille, quo rex per Mardochæum servatus est, (Esther II. et XXII.) ne in oblivione esset. Quod majus beneficium conferri nobis potest, quam quod in die passionis Christi servati sumus? Itaque, o homo, memento istius diei, memento beneficii: scribe id in corde tuo juxta sponsi desiderium: *Pone me ut signaculum super brachium tuum,* Cant. ult.

CONCIO III.

PASSIO CHRISTI VARIE NOBIS APPLICANDA HIS DIEBUS.

- I. Per devotam meditationem. — II. Per compassionem. — III. Per imitationem. — IV. Per pœnitentiam. — V. Per fiduciam, sperando veniam peccatorum.

THEMA.

Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum. Joan. VIII.

De Ægeo Atheniensium rege refert Plutarchus in Theseo, quod cum filium suum Theseum, e Creta reducem e bello victorem exspectaret, ubi

DOMINICA PASSIONIS.

navim, qua filius vehebatur, procul intuitus, non candida, quæ lœtitiam et victoriam filiique incolumitatem nuntiaret, sed nigra vela habere conspexit, Theseum periisse ratus, præ tristitia ex alta specula in subiectum pelagus se præcipitarit. Expectavit etiam Abraham, magnus ille pater, filium suum Jesum (hunc enim *filium Abraham*, hoc est, nepotem appellat Matthæus, capite primo) e cœlo advenientem, magno cum desiderio: imo *exultavit ut videret diem ejus;* ut audivimus in hodierno evangelio: *Vidit et gavisus est.* Sed quomodo gavisus? En tibi adventantem hodie cum vexillis nigris, atis velaminibus in cruce coopertum, et Ecclesiam lugubre accidentem: *Vexilla regis prodeunt, fulget crucis mysterium, etc.* Sed nimur Abraham in limbo constitutus vidit eum, tunc nondum prælantem, nondum in passionis conflictu occumbentem, sed præcise, ut vult Sanctus Irenæus, I. IV. c. XV. incarnatum et miracula facientem. Nondum vidit vela nigra, sed candida pro tempore. Quid si nigra aspexisset, et mortuum audisset? Nos jam audimus, nos jam aspicimus. Quid igitur faciemus? Præcipitamus nos in mare dominice passionis, sed meliore ratione, quam Ægeum fecisse diximus: immergendo cogitationes nostras in prædictum mare, pro salute nostra.

Non est satis infirmo habitare juxta pharmacopolum vel medicinales thermas, nisi utatur medicinis, et foveatur aquis medicis. Scimus enim languidum 38. annis laborasse infirmitate sua, et ut sentit divus Chrysost. homil. XXXV. in Joannem, toto eo tempore sedisse ad piscinam, nec tamen curatum fuisse; quia in eam non descendit, utpote viribus et auxiliatore destitutus, Joan. quinto. Pari modo Christi passio præstantissimum quidem pharmacopolium est thermæque saluberrimæ; at nisi eam nobis applicemus, nihil nobis proderit.

I. Applicamus autem inter alios plurimos modos, quos hic præterimus, primo per devotam meditationem et admirationem tanti beneficij, quo Dei Filius sese Patri suo æternō obtulit vadem et satisfactorem pro delictis subditorum et creaturarum suarum, ita ut victima pro illis fieret cruenta, miris ac diris exagitata cruciatus, in mortem turpissimam condemnata. Qua de re hortatur nos apost. ad Hebr. XII. *Recognoscite eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem.* Recognoscite, h. e. iterum iterumque cogitate atque expendite. Qualis vero ea contradicatio? Quare immediate præmisit quod *confusione contempta sustinuit crucem, qui in dextera sedis Dei sedet.* Proh qualis haec contradicatio, pendere in cruce eum, qui ad

II. PARS HIEMALIS.

dexteram Dei in omni gloria et honore sedet? Quis hic non obstupescat? Unde S. Bernardus, serm. de passione Domini, exclamat: *O novissimum et altissimum! O humilem et sublimem! O opprobrium hominum et gloriam angelorum!* Quare Isa. c. LIII. descripturus Christi passionem a se in spiritu prævisam, non tam ut propheta, quam ut evangelista, ita incipit: *Quis credidit auditui nostro? Et brachium Domini (Dei Filius) cui revelatum est?* q. d. Talia loquar de Messia pro humano genere passuro, ut quamplurimi ea credituri non sint. Narraverat prius mira de divina gloria et majestate, deque mysterio Trinitatis, c. VI. nec tamen ibi dubitavit, aut illa credituri essent homines quia que majestatis sunt, facile et jure de Deo creduntur. At ubi jam quæ humilitatis et contemptus sunt, de Deo enarrat, ibi dubitare incipit de audientium fide. Certe non capiebant ipsi Christi discipuli, cum ascendens Jerosolymam id patiendum Dominus prædicaret eis, quæ passurus erat. Unde ait, Luc. c. XVIII. *Ipsi auem nihil horum intellecerunt; et erat verbum hoc absconditum ab oculis eorum, et non intelligebant quæ dicebantur.* Non enim poterant sibi persuadere eum, quem ex tot tantisque signis cognorant esse Dei Filium, abjectum se usque ad tam infame mortis supplicium et cruciatum, quos prædixerat. Pari difficultate laborabant postea ali quamplurimi Judæi et gentiles, de quibus apost. I. Cor. I. ait: *Prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Quia stultum hominibus visum est, ut pro hominibus auctor vitæ moreretur, et inde contra eum scandalum homo sumpsit, unde ei amplius debitor fieri debuit, ait S. Greg. Nos vero qui hoc fide tenemus sèpius cum admiratione divinæ bonitatis ruminare et meditari debemus. Sane pia illa mulier sanguinis fluxum passa, et a Christo curata, ne tanti beneficij obliuisceretur, statuam Christi æneam præ foribus domus suæ erexit, suam quoque effigiem ad Christi pedes abjectam, ut sive domo egrediens sive ingrediens assiduo sibi in memoriam refricaret acceptam a Salvatore sanitatem, teste Euseb. I. VII. eccles. hist. Niceph. lib. VI. cap. XV. At quanto plus est Deum sanguine suo redimere, quam solo tactu sanguinem sistere.

II. Per compassionem, juxta id apost. ad Philip. II. *Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui semetipsum exinanivit, etc.* Per hunc suscipimus in nos ex parte, in corde scilicet saltem, passionem et crucem Christi, ad modum Simonis Cyrenensis; sed libere non coacte, et quo modo possumus, sublevamus Christi dolores. Si ergo sic compassi fuerimus, etiam re-

gnabimus. Sane omnes, qui crucifixo condolentes adfuerunt, speciales obtinuere gratias: Mater discipulum, quem diligebat Jesus: Joannes Christi matrem: Magdalena primam apparitionem: devotæ mulieres secundam: latro penitens paradisum: centurio fidem: populus compunctionem. Denique nec Simon quidem ille, licet compulsus, crucem Christi gratis vel cum Christo, vel post eum tulit. Traditio enim est, eum una cum filiis Alexandro et Rufo, pro mercede, ad fidem vocatum, et virum sanctum evassisse, ut ex S. Marco colligitur, et habet Lucius Dexter, in chronic. anno Christi 112. aliisque. Præterea fideles illi, qui cum compassione Christo crucifixo astitere, martyrum aliud non subiere, uti Deipara, Joannes, Magdalena; quia sola illa compassio suffecit eis pro martyrio. Et vero quis tam durus erit, ut Dei Filio innocentissimo, qui se amore nostri pro nobis victimam obtulit, non condolere possit? Nam si te in carcere positum, et ad mortem condemnatum amicus visitaret, et amore tui vestes tecum commutaret, ac te demisso, pro te in carcere remaneret, nonne si post eum pro te torqueret et suppicio affici videres, lacrymas tibi excuteret, et ad commiserandum te inflecteret? At hoc egit pro te Christus. Hinc ergo Ecclesia Christo compatiens in hodierno hymno vel ipsam crucem roget, ut rigorem suum remittat, et dolorem Christo mitiget: *Flecte ramos arbor alta, tensa laxa viscera, et rigor lentescat ille, quem dedit nativitas, ut superna membra Regis, miti tendas stipite.* Et quid mirum? Si enim cœlum et elementa, templum, et limbus patrum defunctorum senserunt Christi mortem, et suo modo compassa sunt: si sol in luctu fuit, terra tremuit, rupe scissæ sunt, se-pulcra reserata, velum templi scissum ob mortem creatoris sui: quanto magis lugere, tremere, reserari et scindi ad peccantiam homines debent.

III. Per imitationem, quantum fieri potest. De qua re S. Petrus, epist. I. cap. IV. ait: *Christo igitur in carne passo, et vos eadem cogitatione armemini.* Scimus sane binos Christi discipulos, et quidem secundum carnem etiam cognatos, Jacobum et Joannem invitatos esse a Christo ad bibendum passionis ejus calicem suum, ut suis præsertim dilectis etiam fidelibus delibandum saltem relinqueret. Philippus Augustus Francorum rex, anno salutis 1214. contra Othonem imper. pugnaturus, in patera aurea bucellas panis vino intinctas cucibus suis propinavit: *Bibite ex hoc omnes, exclamavit, commune hoc aut victoriam, aut gloriosam mortis poculum erit.* Qua voce animati Franci, hostes mira alacritate aggressi sunt

ataque superarunt. Refert Egidius Corozetus de dictis et factis memorabilibus. Idem fecit pridem Christus in ultima cena, discipulis suis longe nobiliore ratione calicem eucharistiae simul et passionis propinans, certamque victoram promittens, prius tamen ipse totum exhauriens. Quid vero calix iste, nisi crux, qua nos armari vult S. Petrus? Hanc enim non ad religiosos tantum, sed ad omnes Christianos spectare docet Cassianus, lib. IV. institut. XXXIV. et XXXVI. Ergo primo, sicut crucifixus non potest pro libito, et quo vult manus ac membra extendere, quia ligno affixa habet, ita etiam Christianus non potest ad illicitas voluptates, honores, luera, se suaque membra extendere, quia affixa legi divinae habet. Secundo, sicut cruci affixus assidue cruciatur sua extensio et infixis clavis, ita Christianus clavis timoris Dei confixus assidue carnem cruciat, utpote eis desideriis et concupiscentiis repugnans. Tertio, crucifixus nihil jam in mundo curat, sive homines transeuntes, sive agros et vineas, sive urbes et regiones, sive delicias aut pecunias: de sola morte sua cogitans, ut in altero sæculo gratiam inveniat: ita Christianus toti mundo mori, et ea tantum cogitare debet, ad quæ paulo post migraturum se sperat.

Neque solum in animo, sed etiam in corpore decet Christianum delibare Christi calicem. Qui enim nullas expertus est miserias ac dolores, miseris ac dolentibus credere non potest, nec compati sicut decet. Volet certe corpus etiam præmiari in die judicii, et particeps esse gloriae: sit ergo prius particeps et crucis.

IV. Per peccantiam, et primo, per contritionem et peccatorum detestationem, ideo conceptam, quia Christo Domino causa tantorum cruciatuum ac probrosæ mortis fuerunt. Per hanc ea demergimus in mare passionis Christi. Terribile judicium instituit Deus cum hominibus, quando omne genus humanum ob peccata sua diluvio submersit, præter octo personas; nec solum peccatores, sed etiam innocentes et innumerabiles infantes, bruta quoque animalia; stravit insuper omnes arbores, aliasque plantas; vastavit urbes et hortos, vineas et agros, et quidquid in mundo pulchrum erat, nimis ut eo supplicio recognitato abhorrent homines deinceps a peccatis, eaque cane pejus et angue odissent, ut quæ tantum, tamque miserabilem stragem orbi induxissent.

Atqui longe terribilis divinae vindictæ supplcum est, quod sumpsit Deus non de fielis mundi vasculo, sed de unico Filio suo, quando aperuit non cataractas cœli, sed venas omnes

corporis ejus immaculati, ut copiosum sanguinis imbre undique distillarent ad peccatum submergendum. Detestamus brutum carens ratione, quod hominem occidit, et ejusmodi bos in veteri lege jubetur lapidibus obrui, Exod. XXI. quanto magis oportet peccatum detestari, quod Dei Filium occidit, cuius unius vita pretiosior est, quam vita omnium hominum, quotquot fuerunt, sunt et erunt?

Secundo, perfirmum propositum peccata omnia cavandi. Si enim Deus Filio suo propter aliena, quæ in se suscepit, peccata non pepercit, nec ic-tum unum remisit, quomodo parcer iis, qui post tam liberalem remissionem propria committunt? Apposite hoc explicat parabola S. Vincentii ordin. Præd. in hunc modum: « Quatuor adolescentes in quadam civitate fulta exercere coeperunt, in cuius introitu equitem quendam in cruce male suspensum viderunt, optimis vestimentis indu-tum et ornatum. Cujus aspectum admirati (juvenis enim et pulchri aspectus erat) hominem quemdam prope stantem interrogarunt, quid illud esset? Hic, inquit, quem videtis, filius est gubernatoris civitatis hujus, et unicus ac dilectissimus patri. Quam igitur ob causam, aiunt illi, aut a quo suspendi jussus est? A patre, inquit. Causa autem hæc est. Furtum fecit famulus ejus; pro famulo autem fidejussor intercessit hic filius prætoris, fidejus-sorem admisit pater; fugit famulus, et in tutum se recepit locum. Pater autem, qui justissimus judex est, sententiam in filium protulit, et suspendi sic illum jussit, prout vos ipsi videtis. Redecunt mirantes latrones, et inter se dicentes: Terribilis est prætor iste, non expedit nobis in hac civitate fulta committere; quia si filio proprio non pepercit, quomodo parcer nobis? » Quid sibi velit parabola, facile quivis agnoscat. Adam servus Dei furtum commisit, pro servo sponponit Filius Dei, fugit servus in siuum misericordie divinæ. Pater ergo in Filium tulit sententiam, et cruci eum affigi decrevit. Quid igitur nos dicemus? Si proprio Filio non pepercit, quomodo nobis parcer, si reos nos deprehendere in judicio? Non expedit igitur sub tali præ-tore delinquere; nisi in immensum gravius velimus condemnari.

V. Per fiduciam, sperando ex tam copiosa redēptione et satisfactione veniam peccatorum nostrorum, quandoquidem ea commissa sunt, quotcumque et quantacumque ea sint. Per hanc enim projicimus peccata nostra in immensum pelagus meritorum Christi, quibus ea Christus sanguine suo abluit, juxta id Mich. VII. *Projiciat in profundum maris omnia peccata nostra.* Solent Indæ gentiles peccata sua litteris exarata,

vel alio symbolo expressa in flumen jactare, ut per id delata in mare aeterna oblivione se-pe-liantur, teste Acosta, in descript. novi orbis, lib. V. cap. XXV. Simia Christi diabolus, hoc uique eos docuit, ut vana persuasione decipiatur. Nos Christiani per Christum habemus, quo peccata nostra per confessionis flumen, in oceanum san-guinis Christi mittamus mergenda et abolenda. Quid enim? Si legalia sacrificia, præsertim ho-locausta, dicuntur oblatio suavissimi odoris, quæ tamen nonnisi typus Christi, pro humano genere immolanda erant, Levit. I. nonne infinites magis placebit Deo sacrificium Filii sui? Et si sanguis agni paschalis postibus illitus, gla-dium angeli cædentiis a domibus Hebræorum arcuit, Exod. XII. non poterit sanguis Christi nobis applicatus servare nos a gladio furoris Dei? Ad haec, si immania illa seclera, quæ in ipsius Christi personam patientem commissa sunt a Judæis et gentilibus, charitatem ejus extingue non potuerunt, quominus ea liberalissime remitteret omnibus peccantibus, adeoque illo ipso sanguine, quem fuderunt, eos sanaret; quis de remissione desperare poterit? Etenim colligimus ex Actis apostolorum, cap. II. ut ad-vertit ibi S. Chrysostomus, multos ex iis, qui Christum morti adjudicarunt, clamando: *Cruci-fige, in pentecoste ad Christum conversos, ejusque sanguine ablutos et baptizatos esse, nec dubium videtur de gentilibus aliquot, qui ipsum crucifixirunt; ait enim ibi Petrus: Quem vos crucifixistis.* Sane centurio, et qui cum eo erant custodes Christi, Dei Filium confessi sunt. Longinus miles dum lancea eum percussit, indeque sanguine ejus aspersus est, (teste Beda, in martyro.) creditit et ipse, illo sanguine salvatus, quem effudit. Uxor Pilati Procula et fidem amplexa est, et, si verum est quod Tertullianus, in apolog. cap. XXI. (qui Pilatum in conscientia Christianum appellat) et S. Augustinus, serm. III. de epiphian. sentire videtur, etiam Pilatum ad eamdem perduxit, quamquam hoc incertum est, cum alii referant eum Viennam Galliæ in exilium missum sua se manu transverberasse. Quod tamen fieri potest, etiamsi Christi fidem suscepisset. His accedit latro peccant, et turba circumstantium percutiens pectora sua. Quin et paulo post multa turba sacerdotum, qui, ut sentit S. Chrysostomus, in Actis, cap. VI. prius Christo in cruce illuserant, obedierunt evangelio, Actor. cap. VI. Quis jam veniam a Christo non speret, si hanc illi consecuti sunt, qui in ipsum paulo ante tam immaniter sœvierunt? Neque deicas Christum tunc temporis, cum pateretur, fuisse liberaliorem, quam nunc esse velit. Inſi-

CONCIO IV. AUCTARII.

niti enim valoris est sanguis ejus, quem propterea etiam post mortem e latere suo effundere voluit, ut intelligeremus in eo adhuc vivere pro nobis misericordiam ad peccata expianda, etiamsi ea repetamus.

Quare, auditores, projiciamus nos in mare istud inexhaustum amarissimae passionis Domini, non submerget, sed lavabit nos, et super nivem dealbabit, ut ita de illorum numero simus, de quibus dicitur Apoc. VII. *Hi sunt, qui laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei.*

CONCIO IV.

QUOMODO ABRAHAM VIDERIT DIEM PASSIONIS CHRISTI.

I. Vedit Dei Filium se ad patiendum offerentem. — II. Vedit montem Calvariae in monte Moriæ. — III. Vedit bajulantem crucem. — IV. Vedit spinis coronatum. — V. Vedit crucifixum. — VI. Vedit morientem et immolatum secundum humanitatem. — VII. Vedit resurgentem.

THEMA.

Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum, vedit et gavisus est. Joan. VIII.

Non pauci patres volunt diem Christi, quem in spiritu et typo vident ac prævidit Abraham, esse diem passionis ejus, uti Chrysostomus, Ambrosius, Prosper, Audamus S. Chrysostomum, homil. XLVII. in capite XXII. Gen. « Quomodo vedit, inquit, qui temporibus præcessit? Perfiguram, per umbram. Sicut enim hic ovis oblata est pro Isaac: ita enim rationalis agnus oblatus est pro mundo. Oportebat enim in umbra describi et presignari ante veritatem. » Ita ille. Cum enim mysterium Dei hominis crucifixi, necessarium quidem hominum generi, arduum tamen ac difficile esset, futurum Judæis scandalum, gentibus autem stultitia; necessarium fuit ut per præviæ figuræ ac vaticinia mitigata quasi ejus difficultate, via sternetur ad ejus fidem. Quam ob causam hanc Isaaci, lignum portantis, figuram præmissam inter alias, ut Christi passio facilius crederetur, vult Tertullianus, lib. III. adversus Marcion. cap. XVIII. Mirandum hoc spectaculum ut videret Abraham, exultavit et gavisus est, non sane propter initium et medium, quæ tristissima fuerunt; sed ob lætissimum finem, qui fuit gloria resuscitati Christi, et redemptio ac salus nostra. Quid vere potissimum de passione illa viderit, nunc inquiramus.

I. Vedit Dei Filium se ex voluntate Patris ad mortem offerentem. Et ubi hoc vedit? Quando ducens filium ad locum sacrificii, ferens una manu ignem, ad succendendum rogum: altera gladium, ad mactandum filium, audit filium sibi dicentem: *Pater mi, ecce ligna, ubi est victimæ holocausti?* Et quando filius a patre se ligari passus est (cum bene posset fugere) et velut agnus obmutuit. Et quando intelligens se fore victimam, lubens volens obtulit se ad mortem, etiamsi non Deus, sed pater solus id mandaret, ut seribit Joseph. lib. I. de antiqu. cap. XIII. Gladius denotabat Dei Patris justitiam, qua peccata hominum pleci postulavit: ignis vero amorem illum, quo sic dilxit mundum, ut *Filium suum unigenitum daret in pretium pro redemptione hominum*: et quo acceptare pretium illud voluit a nihil sibi debente Filio. Pugnabant in corde Abraham affectus erga filium et præceptum Dei, urgens, amor Dei et amor carnis pugnabant, etiam in Deo justitia et misericordia: ita ergo peccatum et amor erga homines: unde utrique suus locus datus est. Verum umbram tantum vidit Abraham; quia magnum nimis discriben est inter Filium Dei et filium hominis. Quid mirum si servus afferat Deo vitam, a quo eam accepit? At Filium Dei se offerre pro servis, quam stupendum et quantum hoc est! Ad hæc Isaac acceptavit quidem Dei et patris voluntatem: at Dei Filius se ad mortem sponte obtulit: *Exultavit enim ut gigas ad currendum viam, qui cum iniquissime accusaretur, non aperuit os suum, cum pateretur, non comminabatur.* Denique cum desiderio pati desideravit, uti indicavit verbis illis: *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor donec perficiatur.*

II. Vedit montem Calvariae velut locum supplicii funestum. Ubi? Quando *elevatis oculis vidit locum procul*, ubi filium immolare debebat; qui exinde appellatus est, *Dominus videbit*, ut Gen. XXII. dicitur. Vedit, inquam, in spiritu, ubi supplicium sumendum de secundo Adamo, ubi primus sepultus erat. Etenim mons Moria plures colliculos habet, qui omnes uno Moriæ nomine comprehenduntur; in uno extractum est templum, in altero, qui est Calvariae, crucifixus est Dominus, ubi et Adam sepultus. Cæterum in aspectu hujus montis de procul solus Abraham teritur, et novo ense transfixus fuit, non Isaac, qui nesciebat se immolandum. At vero Christus vedit locum sui supplicii, montem Calvariae magis adhuc procul, in tota scilicet sua vita: sed e vicino in monte Oliveti, ubi ejus aspectu pavefactus copiosum sanguinem fudit. Bene ergo dictus est is locus: *Dominus videbit.* Vedit enim

DOMINICA PASSIONIS.

ibi clare et distinete omnia tormenta sua, clapas, sputa, contumelias, derisiones, flagella, spinas, vestem albam et coccineam, crucem, clavos, sitim, fel, acetum, probra, mortem acerbissimam; eaque visio tam tremenda fuit, ut coegerit Christi sanguinem ebullire, et fugere e sede sua, ac membra omnia perrumpere; quem tamen fugientem retinuit, ut ab aliis fundetur, quod indicavit in illa oratione: *Transeat a me calix iste; verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.*

III. Vedit Filium Dei unicum, dilectissimum, innocentissimum, sanctissimum, ob alienam culpam, nostram scilicet, crucem in se suscipientem duicere ea onustum ad Calvarie montem, crucifigendum. Qualis visio ista? Et ubi hoc vedit? Quando ipse accepto Dei mandato, ligna holocausti imposuit filio suo Isaac, unigenito, dilecto, et duxit eum ad montem Moriæ immolandum. Isaac significat *risum*, ob risum et gaudium patris, dum ei promissus a Deo fuit, Genes. XVII, et notat Dei Filium, qui fuit *risus et gaudium universæ terræ*, ait Rupertus. Fuit Isaac unigenitus ex Sara, patri dilectissimus, innocentissimus: Christus Filius Dei Patris, unice dilectus, fons omnis sanctitatis. Oneratur Isaac fasce lignorum, et ducitur ad montem Moriæ, ac sic, ut Lyranus ibi scribit, ligna, quæ prius asinus gestat, a dorso asini transfert Abraham in dorsum filii; sic Dei Filius oneratur alieno peccatorum onere ferendo in dorso suo, peccatis scilicet asini, hoc est, Adami seu hominis, de quo Psalmo XLVIII. dicitur: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis: juxta id Isaiae LIII.* Et posuit in eo iniquitates omnium nostrum. Nimurum, tam grave pondus erat, ut nonnisi Dei Filius robustissimus id gestare posset; quia et ipsum Dei Filium depresso in Oliveto, et dum crucem efferret, ter prostravit, ut scribit Adricomius, in descript. terre sanctæ. Ad hæc ligna illa multa erant ad rogum extrendum; quia et peccata hominum innumera: ligna erant silvestria, infrugifera, ad ignem nata; et peccata quid nisi ignem merebantur? Ergo ut Isaac, ita et Dei Filius ductus est ad immolandum; quia tam gravis offensa, et læsæ majestatis divinæ crimen, nonnisi pretiosissimo, quod habet homo, vita scilicet et sanguine, luendum erat. Isaac duos servos suos ad montis radicem hærere eum asino jussit, nec ad oneris partem ferendam vocavit: sic Dei Filius torcular calcavit solus, homines reos liberos dimisit; solus etiam ipse morti sese obtulit, quando in Oliveto solus prodidit obviam cohorti, addens: *Si ergo me queritis,*

sinite hos (discipulos) abiire: uti factum. Verum circa istud parum vedit Abraham: non enim vedit Christum sub ponderosa cruce sæpius collabentem, non crucem in coronam spineam multoties impactam, non vedit una cum latronibus ad montem eductum; non vedit hinc inde trusum et impulsum, non percussum et stimulatum, non felle et myrrha potatum, non obviantem lacrymanti matri, non coram tanta spectatorum multitudine. Denique Isaac nesciebat se portare ligna in quibus immolandus esset, Christus id sciebat. Isaac robustus erat, Christus debilitatus et pene exsanguis. Isaac cum maxima patris commiseratione eductus est: Christus cum maxima inimicorum insultatione.

IV. Vedit etiam Christum spinis coronatum. Ubi? Quando vedit arietem inter vespes cornibus hærentem, seu ut est in Hebræo, *in implexu veprium ad arborem Sabæi*, (ut habent Septuaginta et Hieronymus) quæ vox significat remissionem. Vespes spineam coronam, que Christi capitum implexa et imposta fuit, manifeste exprimebant. Verum parum vedit Abraham. Non vedit flagellatum, non vedit oculos sanguine defluente perfusos, ita ut nonnisi compressis prius oculis matrem intueri posset, ut ait S. Birgitta. Ad hæc vespes illi caput arietis non penetrarunt, sed cornibus tantum adhæserunt: at vero Christi caput vulnerarunt, penetrarunt, et dire cruciarunt. Non vedit Abraham ignominiam, quæ spinæ in formam coronæ pro ludibrio capitum Christi impositæ; non vestem coccineam, non derisionem et fictam adorationem, non alpas et sputa.

V. Vedit Christum crucifixum, quando filium suum alligavit, posuitque super struem lignorum. Ibi enim Christum aspexit per figuram, in crucem positum, ibique alligatum, et a Patre derelictum. Magna virtus et stupenda obedientia Isaaci, qui patitur se ligari instar ovis, et poni super struem immolandum, nec contra quidquam mutit. Major Filii Dei, qui patitur se in crucem affigi, et ibi a Patre omniq[ue] solatio destitui. Isaac alligatur a compatiente patre, Christus ab improbis militibus cum furia dejicitur in crucem. Isaac alligatur, Christus clavis affigitur. Isaac unum gladii expectati ictum, Christus vero plurimos et sentit et præsentit. Quæ ictus probra, et Judæorum derisiones! Quæ ictus militum pro ueste ejus ludentium! Qualis matris præsentia et desolatio! Qualis sitis! Qualis solis aestus vulnera ejus diducens et muscis denuo configenda exponens!

VI. Vedit morientem Dei Filium et immolatum, secundum humanitatem intacta divinitate. Ubi?